DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. LVII.

M. CLAUDIO-FRANCISCO GRANDCLAS, Equite, *STANISLAI*, Poloniarum Regis, Lotharingiæ & Barri Ducis Consiliario, & Medico, Doctore Medico, Præside.

An partus naturalis incerto circumscribatur termino?

I.



PERACTA conceptione, & embryonis conformatione, nasci debet fœtus. Si organis, & robore ad vitam necessariis instructus, præeunte capite, secundinis rectè subsequentibus, utero excludatur, naturalis aderit partus. Genuinæ illius exclusionis causæ desumendæ: ex mutato postremis graviditatis mensibus fœtûs situ, ex illius pondere & motibus; ex parturientis doloribus, & nixibus; necnon ex uteri elatere qui solus maximas tùm in promovendo partu, tùm in immutando partûs tempore, partes tenet. Grandior enim factus embryo, capitis mole deorsùm, gravitatis ut leges postulant, ruit; infimumque uteri orificium, tanquam exitum quæsiturus, petit. Angustiori loco detentus calces, genua, & cubitus utero asperè impingit. Uterus nimis distentus ultrà distendi recusat. Molesti hospitis morsibus offensus, & ponderis suprà vires increscentis pertæsus, eo, ceu graviori sarcinâ, liberari cupit. Convellitur, contrahitur, & sese contrahendo tenellos in artus agit, carceris & fores sensim reserat. Acerbis interdùm cruciatibus discerpitur parturiens, uterique actionem *nisu* imprimis *exspiratorio* juvat. Fœtus in membranis inclusus quoquoversùm exagitatur, calcitrat, & uteri compressione adjutus, calcitrando eas disrumpit. Effluunt aquæ, lubricantur viæ, humectantur, ulteriùs & dilatantur. Dehiscit internum uteri orificium, patescit & vulva. Fœtus est in procinctu: in uterinam cervicem truditur, & increbrescentibus parturientis conaminibus in lucem editur. Sic naturalis partus peragitur, non autem statuto, sed indefinito temporis circulo; prout fortiori, vel languidiori elaterio donatur uterus. Quò fortius, eò promptior, quò debilius, eò tardior succedit. Hæc omnia indigitat uteri fabrica, meliùsque præsertim ex ipsius descriptione vel brevissimâ mox innotescent.

I I.

UTERUS (1) viſcus in hypogaſtricâ regione ſitum, veſicam inter, & inteſtinum rectum, quatuor ligamentis firmiter in ſede ſuâ detinetur. Carneis fibris circumquaquè implicitis, laxè cohærentibus, innumerâ vaſorum omnis generis congerie intertextis conflatur. Magnitudine, figurâ, colore, craſſitie, duritie, & denſitate; pro diversâ ætate, temperie, veneris uſu, menſium profluvio, corporis proceritate, & fœturâ varium; fundo, cervice, necnon tribus oſtiis gaudet. In virginibus, lagenæ inverſæ formam, exilioris, & compreſſi piri magnitudinem haud malè refert. Duriuſculam texturâ æmulatur ſpongiam. Cavitate triangulari-oblongâ majuſculam vix capit fabam. In gravidis prægnationis quolibet tempore exſtinctis miras ipſum mutationes ſubiiſſe ipſa docet autopſia: conſtat enim, teſte cultro anatomico, uteri fibras, incipiente graviditate, explicari, uterumque totum intumeſcere, & (2) ipſius-met ſubſtantiam inæqualiter craſſeſcere; progrediente, magis ac magis dilatari, & ultimâ geſtationis periodo quàm maximè diſtendi. Cum autem ad ſummum extenſionis punctum pervenerit, contrahatur neceſſe eſt. Citiùs contrahetur, ſi firmior ipſius compages; ſeriùs, ſi laxior; ac proindè, quâ pollet elaterii virtute, partûs naturalis accelerabit tempora, vel remorabitur.

(1) Uteri accuratiſſ. deſcript. edid. Cl. totius Europ. adeoque univer. Orb. Anatomicus S.M. Jacob. Benign. Winſlow in eximiâ ſuâ de corp. hum. ſtruct. anat. exp. tom. 4. tr. du bas v. au titr. des Part. natur. du ſexe fem. n°. 590. p. 57. & ſuiv.

(2) Elem. de Phyſ. 2. part. ch. de la gener. pag. 439. 440. & 441. Medicinæ candidatis utiliſſ. opus.

I I I.

AT præter uteri elaterium aliæ quàm plurimæ deprehenduntur cauſæ quæ partum naturalem incerto circumſcribi termino ſuadent. Præcipua deducitur (3) ab intrinſecâ ſeminis craſi quæ pendet à peculiari cujuſlibet individui temperamento, & conſectariâ ſanitate. Sanitatem temperiei vulgò ἰδιοσυγκράσιαν à vario temperamentorum ſtatu procedere omnibus notum eſt. Si temperamentum benè ſit conſtitutum; ſanitas erit firma, ſecùs infirma. Pro vario regionum ſitu, naſcituræ prolis variari tempora docet experientia: quò enim benigniori cœli temperatione ditatur, quò apricior, quò purior aer in eâ diffuſus, quò certiores, conſtantioreſque tempeſtatum converſiones; quò rariores cœli perturbationes, eò citiùs ad maturitatem fœtus perducitur. Simile quid obſervare eſt circà plantas: illarum enim (4) *ſemina, & fructus in regionibus frigidis, tardiùs quàm in aliis terræ bonitate, ſoliſque beneficio gaudentibus proveniunt.* Cæteræ aliæ cauſæ deducuntur à liberaliori, vel anguſtiori ingeſtorum copiâ; ab alimento, & robore fœtui ſubminiſtrato; ab exercitationibus tempore, & loco admiſſis, aut neglectis; ab animi pathematibus temperantiæ juſtos intra cancellos parùm coercitis; paucis à ſtrictiori, vel laxiori, ſecundum hygiëines præcepta, vitæ regimine.

(3) Car. Drelinc. de part. oct. viv. diatriba p. 8. Andr. Laurent. Hiſt. an. contr. illuſt. l. 8. quæſt. 31. p. 640.

(4) Dan. le Cler & J. Jacob. Mangetus Bibl. An. t. 1 de inf. vent. c. de partu. fol. 714.

I V.

SEXCENTIS modis ſolida inter ſe diſcrepant, infinitis, & proportionibus fluidis ſociantur. Diverſo illorum conſortio in infinitum variatur (5) *habitudo* quæ temperamenta, & temperamentorum diverſitatem conſtituit: hæc enim deſumitur à variâ ſolidorum ſtructurâ, & compage; nec non à majori, vel minori fluidorum in corpore latitantium copiâ. Hinc tot temperamentorum exſurgunt ſpecies quot individuorum, neque (6) ullum eſt in quo ſpeciale aliquid, & ab omni alio diverſum non reperiatur; quin imò à recto vel perverſo rerum non naturalium uſu temperamenta ipſa ſæpenumerò immutantur.

Ab intimâ partium texturâ, fortaſſis etiam ab aëre intermiſto, notabilis quædam emergit facultas, elaterium dicta. Quò vividior eſt, eò ve-

(5) Cl. Frid. Hoffman tom. 1. c. 12. fol. 131.

(6) Serv. Aug. de Villers inſt. Med. lib. 1. c. 2. p. 5.

getior partium actio ; ac proindè eò velocior ſanguinis motus, ex illius motu nativus oritur calor : acceleretur, increſcet ; imminuatur, decreſcet. A nativo calore variam, atque variam temperiem nanciſcitur ſemen : ut autem temperamentorum, ità & firmioris, vel infirmioris ſanitatis reſpectu varia ſunt partûs tempora.

Quid mirum, ſi (7) imbecilles tantùm, & ſerotini fœtus ab iis procreentur qui dubiâ cum valetudine ſempèr luctantur, aut qui ſeniores vel juniores veneri indulgent ? Nec minùs confert aër, cibus, & potus ; motus, & quies ; ſomnus, & vigilia ; excreta, & retenta ; & animi pathemata quæ ſunt hygïeines objectum, & de quibus ideò ſilemus.

Obſervationibus tandèm, autoritatibus, legibuſque, ſi controverſia ſit componenda ; inconcuſſis fundamentis noſtram niti doctrinam manifeſtiùs apparebit : indubitatæ enim obſervationes teſtantur mulieri vagum, indefinitumque geſtandi, & pariendi tempus conceſſum eſſe. Exempla exſtant (8) 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. uſque 23 menſium. Legitur in chronico Mansfeldico (9) mulierem per biennium gravidam tandem puerum peperiſſe. Mercurialis (10) refert fœtum quemdam vivum ventre quatuor annis integris geſtatum fuiſſe. *Joviniaci*, (11) puer alius annos 31 in utero materno explevit.

Iiſdem varietatibus animantia cicura ſubjici compertum eſt. (12) Ob otium, pabuli copiam, & inordinatam, præter naturæ morem, laſciviam incerta coeundi & pariendi tempora obtinent ; dum è contra feræ, cæteraque animalia hinc & indè liberè vagantia ſtatuto tempore coeunt, & pariunt ; eò quòd iiſdem pabulis ſemper veſcantur, & in iis, ſicut, & in coïtu magis ſibi temperent.

Majori emolumento quid ſentiant Autores qui ſententiæ noſtræ ſuffragantur, à fontibus haurietur quàm à rivulis ; idcircò eorum nomina & loca margini (13) appoſuimus ; nominaſſe, laudaſſe eſt.

Quid ferant leges ſagaciſſimorum Medicorum Decretis innixæ, ex dicendis colligere eſt. Plutarchus (14) in vitâ Antonii memoriæ prodidit mulieribus ante decem menſes à morte maritorum nubere non fuiſſe conceſſum, refragantibus infamiæ notam inurunt leges Romanæ. Maſſurius (15) narrat Lucium Papyrium, Prætorem, ſecundo hærede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cùm mater partum ſe tredecim menſibus diceret tuliſſe ; quoniam nullum certum pariendi tempus videretur. Gellius (16) auctor eſt mulierem quamdam honeſtis moribus, nec ambiguâ pudicitiâ, Romæ undecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe, partumque à Divo Adriano, requiſitis veterum Philoſophorum & Medicorum ſententiis, legitimum pronuntiatum fuiſſe.

V.

CORONIDIS loco, contendimus certa non dari ſigna quibus certum pariendi tempus aſſignetur : geſtationis enim ut poſſet detegi terminus conceptionis primum inſtans cognoſcendum. At multas ob rationes latet : 1°. Conceptionis incipientis indicia quandoque ità ſunt obſcura, ut (17) mulieres quædam conceperint, nec ſeſe concepiſſe putent. 2°. Conceptionis ſigna, licèt evidentia, æquè incerta obſervantur ac graviditatis ſignorum ſeries. A ſuppreſſis enim menſibus, à molis (18) quarum incredibilis numerus, aliiſve morbis frequentèr oriuntur ſymptomata veram conceptionem, veramque graviditatem mentientia. Nunquam igitur de graviditate audentiùs pronuntiandum. 3°. Mulieres

(7) Hippocr. ſect. 3. de nat. puer. lib. fol. 242 & 245.

Serv. Aug. de Villers l. 2. c. 6. p. 389.

(8) Tozzi inſt. fol. 48. & ſeq.

P. Zachias qu. Medico-legal. l. 1. tom. 2. q. 6. n. ult.

J. Riolanus fil. fœt. hum. hiſt. c. 21. de part. pag. 354.

Jo. Schenckius obſ. l. 4. tit. de part. præc. & ſerot. p. 328. & ſeq. ad 348.

(9) Referente Jo. Mat. Heſſo. in Quæſt. Medic. Jucundis. q. 29. pag. 115.

(10) Conſil. 85.

(11) Mém. de l'Acad. des Sc. ann. 1748. p. 108. &c.

(12) Bibl. Anat. Autores. ut ſupra f. 712., & 714.

(13) Hippocr. Sect. 3. de nat. puer. lib. f. 238, & 241. Sect. 4. de vict. rat. l. 1. f. 347. ibid. de Alim. lib. f. 382.

Ariſtot. de gener. an. l. 4. c. 4. hiſt. anim. l. 7. c. 4. probl. 10, & alibi.

Plinius nat. hiſt. l. 7. c. 5.

Fr. Valeſius in epiſt. de incert. part. tempore.

P. Zachias ut ſupra.

Bibl. an. ſcript. ut ſupr. f. 711, 712, & 713.

And. Laurent. ut ſupra c. 9. p. 627. q. 30. p. 632. q. 31. p. 639.

Jo. Mat. Heſſo ut ſupr. q. 29. P. 110.

Car. Drelincuttius, ut ſuprà p. 1, 2, 6, 7, 8, & 20.

J. Riolanus filius, ut ſuprà p. 354.

P. Linſing & Jo. Fr. Low, tentamen & exam. Medico-inſtitut. lib. 1. cap. 22. de part. &c. pag. 273.

Daniel Sennertus, inſt. Medic. lib. 1. c. 10. de gener. p. 108, & 109.

J. Heurnius,

ipsæ in determinandâ gestationis diuturnitate inter se non consentiunt: aliæ enim (19) numerant à catameniorum retentione, aliæ à postero menstruorum præcedentium die. 4º. Coitu coitui propiùs haud rarò succedente, quis fœcunda naturæ concipientis momenta deprehendet? Neque objicias cum *Divo Sene ex aphorismo* 41. *sectionis* 5, *ubi de epotâ mulsâ*; conceptionem detegi posse, ac proindè partûs tempora: in allato enim aphorismo experientia proponitur quâ dignoscatur an mulier conceperit, nec-ne, non autem quo temporis puncto incœperit conceptio. Præterea quàm cautè huic experientiæ fidendum monet *Christ. à Vega*, quàm parùm *Jo. Butinus.* Neque cum aliis reponas mulieres quasdam conceptionis instans ità nosse, ut partûs tempora certò prænuntiaverint. Has in computo suo, ut (20) in putandâ gestatione omnes falluntur, errasse credendum ducimus. Quo enim pacto illud detexissent quod sedulas oculatissimorum Medicorum indagationes fugit? Aliundè perrari sunt casus, & communem neutiquàm labefactant legem.

Quid plura? Ratione, Observatione, & Autoritate freti securè concludamus:

Inst. Med. lib. 5. c. 7. de part. &c. p. 161.

(14) Referente Jo. Mat Hesso, ut supr. p. 114.

(15) Plinius, ut supr.

(16) Lib. 3. c. 16.

(17) Andr. Laurent. ut sup. q. 30. p 634.

(18) Jo. Schenckius, obs. lib. 4. à pag. 524. ad 607.

Zac. Lusitanus, prax. adm. lib. 2. p. 262. & seq. ad 267.

(19) Elem. de Physiol. ut sup. pag. 431.

(20) Hippocr. ut suprà.

Ergò partus naturalis incerto circumscribitur termino.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus de Paulâ Combalusier.	*M. Jacobus Barbeu du Bourg, Regiæ Scientiarum Academiæ Stokolmiensis Socius.*	*M. Carolus Payen.*
M. Hugo Capet.	*M. Joannes-Jacobus Messence.*	*M. Tussanus-Gilbertus Boulland, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.*
M. Petrus-Augustus Adet.	*M. Carolus Franciscus Theroulde de Toulouse de Vallun, Eques.*	*M. Gaspardus Cochon Dupuy, Regis Consiliarius & in arce maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.*

Proponebat Parisiis MAXIMILIANUS-JOSEPHUS LEŸS, Audomarinus, Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1757,

À SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1757.